



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Supplementband und Schluß des ganzen Werkes bis auf die Register

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1865

XIII. Papst Clemens V. beauftragt den Erzbischof von Bremen und die
Bischöfe zu Hildesheim und Brandenburg, die dem Erzstift Magdeburg
entfremdetem Güter ihm wieder zu verschaffen.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55834)

XIII. Papp Clemens V. beauftragt den Erzbischof von Bremen und die Bischöfe zu Hildesheim und Brandenburg, die dem Erzstift Magdeburg entfremdeten Güter ihm wieder zu verschaffen, am 1. Juli 1312.

Clemens, episcopus, seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Bremenfi et Hildesemenfi ac Brandenburgensi Episcopis Salutem et apostolicam benedictionem. Si ex iniuncti nobis postoralis officii debito singularum ecclesiarum commoda querimus, dignum est, ut earum dispendiis promptis affectibus occuramus. Oblata siquidem nobis venerabilis fratris nostri Borchardi, Archiepiscopi Magdeburgensis peticio continebat, quod nonnulli predecesores sui Magdeburgenses Archiepiscopi, qui fuerunt pro tempore, manus interdum ad alienacionem rerum et Jurium Magdeburgensis ecclesie sacris interdictam canonibus extendentes, qualdam villas, possessiones, terras, munitiones, Castra, Jurisdictiones et Jura ad Archiepiscopalem mensam seu ecclesiam predictam spectantia nonnullis religiosis ecclesiasticisve personis Exemptis et non exemptis, Nobilibus, Comitibus, Communitatibus ac aliis Clericis et laycis necnon aliquibus Judeis diocesium diuersarum pro certis pecuniarum quantitibus absque sedis apostolice licentia et alias illicite alienauerunt seu eciam distraxerunt in eius mensa ac ecclesie predictarum graue preiudicium et non modicam lesionem. Quare nobis humiliter supplicauit, ut prouidere super hoc sibi, Mensa ac ecclesie memoratis paterna sollicitudine dignaremur. Nos igitur Archiepiscopi, Mensa et ecclesie predictarum indemnitatibus prouidere volentes fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos uel duo aut vnus vestrum ea, que de bonis, rebus et Juribus ad mensam seu ecclesiam predictas pertinentibus quomodolibet alienata illicite inueneritis uel distracta, ad Jus et proprietatem Mensa seu ecclesie predictarum studeatis summarie de plano sine strepitu et figura Iudicii non obstantibus quibuscunq; cautelis, litteris, Instrumentis, renunciationibus et interpositis Juramentis legitime reuocare, Contradictores, uidelicet religiosas ecclesiasticasve personas, Nobiles, Comites, Communitates et alios, Clericos et laicos supradictos per censuram ecclesiasticam, Judeos vero per subtractionem communionis fidelium appellacione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio uel timore subtraxerint, censura simili apellacione remota cogatis veritati testimonium perhibere, Non obstante, si aliquibus communiter uel diuifim a sede apostolica sit Indultum, quod Interdici, suspendi uel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de uerbo ad uerbum de Indulto huiusmodi mentionem. Datum in Prioratu de Granfello prope Malanfanam uationens. diocesis, Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Aus dem Codex S. Mauritii im Herzogl. Landes-Archive zu Bernburg f. 31. 32 (Cop. IVa. f. 71 im Königl. Prov.-Archive zu Magdeburg).